Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

Cardinalitiis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ quintâ Martii. 1708.

M. LUDOVICO DE VAUX, Doctore Medico, Præside.

An potus, instante somno, noxius?

ALIMENTA, corpori reficiendo nata, solida alia, alia liquida sumuntur. Illa nutritioni, cibique nomen habent, hæc illis diluendis, imprimis inserviunt, potùsque sibi nomen vindicant. Cibus, ut potè variis coalescens partibus, præparationem exigit, cujus in ore, dentium & succi salivalis ope, prima recipit rudimenta: Fluiditatis gradum quemdam ibi adeptus, œsophagique propellentibus fibris, in ventriculum labitur, qui alterum in ingestam massam evolutionis gradum, tentat ac peragit. Hoc chylosos opus non unico fibrarum, quibus intertexitur ventriculus, motu conficitur; succus glandularum, quibus refertur tunica media, suam huic labori dat operam, sales in alimentis solvendo, ut & massam, ut par est, diluendo. Dum fibrarum ventriculi elater viget, attritionis debitæ perficitur motus, & succi diluentis quantitas & requisita indoles chylum simul omnino absolvunt, modò idonea ministretur materies. Cibus sulphuribus crassis, salibusve fixis impeditus, ventriculi nisus eludit, nec satis conteruntur sulphura, unde tenax chylus, unde ructus nidorosi, coctionis difficilis & operosæ argumentum. Sales fixi humorem nullatenus sufficientem in succo diluente reperiunt à quo valeant dissolvi, verùm indigesta salibusque effœta moles remanet, coctionis impeditæ per ructus acidos emittens notas. Sua quoque subit vitia succus ventriculi, chylum idcircò contaminans, & in ventriculo & intestinis utplurimùm generans saburram, variis nominibus, pro colore & sapore distinctam. Succus idem etsi vitiorum expers, exuperans complura inducere valet incommoda, fibras relaxans, chylum nimis diluens, unde prava chylosis, hæmatosis perversa, omnium unde fuctionum error: ea enim est ventriculi sors, ut quæ non potest subigere, ipsum ipsa eadem primariò lædant, aliasque corporis partes in posterum pervertant. Quam benè igitur Divinus senex suaserit, resuendum potum, instante somno, inde nemo non cognoscet.

CHYLUS, massa liquida ex alimentis prompta sapore dulcis, colore alba in ventriculo primò condita, in intestinis & lacteis vasis deinceps peracta, suas servat qualitates, dum assumpta naturæ fuerint consona. Non in omnibus, quas perlustrat partibus, ipsi color idem: in ventriculo cinereus; in lacteis vasis albus; prout magis evolvitur, intensiorem adipiscitur albedinem. E chylo probè subacto laudabilis exurgit sanguis, cæterorumque succorum naturalis proventus. Ut varias impetit partes chylus & cola permeat, à quibus novos evolutionis recipit gradus, ità si malè stererit illorum structura, debilisque actio, malè repurgabitur, vitiosique ideò sanguinis fovebit rationem. Ventriculus, intestina, vasa lactea simul, vel singulatim male afficiantur, corruit chylosis. Vasa lactea obstructa chyli anadosin sistunt, hinc partes alimoniâ fraudatæ paulatim marcescunt, ut ex atrophiâ dignoscitur. Intestina bile succoque pancreatico degeneribus infarcta chylum pervertunt; febrium non insolita origo. Ventriculus ob nimiam fibrarum relaxationem, vel earumdem crispaturam læsus, non unius tantùm morbi fit parens, imò omnium queis corpus oppugnatur. Malè à ventriculo læso bonam speras chylosin ipsi optima mandando alimenta. Cibus quamvis nutritii succi omnino dives indiget motu qui oleosas partes atterat & explicet; qui verò imminutus vel depravatus, crudum viscidum salibusque fœtum sanguini admisceri chylum sinit, cujus pervertitur crasis. Non modò liquida hisce, ventriculi errore, malis alterantur, solida quoque labefactantur, pro mutuo inter utraque naturali commercio. Utrorumque læsionem igitur mirari desine, ubi laborat ventriculus. Corpus universum languere, læso ventriculo, non minùs ac ratio, suadet praxis. In morbis plerisque emeticum stupenda, in ægrorum solamen, profert, in ventriculo morbi fomitem hærentem excutiens ac eliminans: sic, qua gravabatur, sarcinâ solutus venter, suam recuperat integritatem quam, chyli probè subacti beneficio, cæteris partibus communicat.

POTUS cibis diluendis idoneus, ad sitim explendam imprimis requiritur. Sitis natura in salibus evectis & expeditis consistit, qui suos in solida faciliùs aculeos inurunt, unde sollicitudo quædam animal agit ad quærendum id quo ea compescatur affectio, duntaxat à liquido expectandum. Horumce salium actio, sitis nomen habent cum œsophagi membranam lacessunt: alibi alia sortiuntur nomina, liquidoque variè usurpato eluuntur, ut in pruritu, balneo. Varii in usum venere potus præter aquam; vinum, sydram, zythum, mulsam aliosque factitios pro diversis regionibus homines assumunt potus. Ex his ut ut quid boni exurgat, aquæ simplici multo inferiores, ut potè sulphuribus salibusve efferti, à quibus sitis nequaquam extinguitur imò augescit, & ventriculo cæterisque corporis partibus crispaturæ inferri valent, unde tam in solida quàm in fluida pedetentim morbus irrepit. Arthritis suam sæpiùs originem trahit à salibus fixivioso & acri, acidove in vino solutis, quod fit palam in regionibus vini feracibus, in quibus destillationum omne genus, morbus velut endemicus, apud potatores ipsorumque nepotes grassatur. Sydra, zythum suis scatent vitiis, nam præter sales quibus resorbentur, partes lentæ sanguini succum viscidum suppeditantes, ipsum inficiunt & quasi irretiunt, unde morborum soboleſcit Ilias. Clades alias procreant alia potûs genera, prout illorum mixtionis fuerit natura: quò plus ab aqua simplici recedent, eò plus labis inurent corpori. Etsi aquæ potus naturalis sit omnino, suum tamen modum habet, quem superare periculosum; nam plus ultra, vel intempestivè sumptus, morbos, si non extemplò, imminentes infert, ventriculum cæteraſque alvinæ regionis partes à munis avertendo. Somnum ideò potui supervenientem, ea eadem corpori mala invehere quid mirum?

SOMNUS, sensûs communis feriatio, motûs externi intermissio, viribus refocillandis à natura concessus, in nos irrepit blandus & ex naturæ voto ob fibrillarum nervearum, à sero seu rore, ortam relaxationem, vel subsidentiam. Spirituum animalium penuria, pro laboribus exhaustorum easdem fibrillas subsidere non nunquam est in causa; hinc ab immoderato exercitio somnus. Sopor, vigilandi magis impotentia, quàm somnus, à succis vitiosis & exuperantibus oritur, pro succorum indole varii invadunt sopores, quales carus, coma, lethargus, à quibus nunquam corpus restauratur, imò frangitur, utporè contra naturam corpus afficiens. Alius est quem ars inducit vel pedum, vel totius corporis tepidâ lotione, aut papaveris, opiive ministerio. At uti naturâ invitâ accersitur, majora sæpe vigiliis incommoda post se relinquit. Somnus verò naturalis is est, qui statis temporibus in nos irrepit, qui nec longior, nec profundior, qui animæ, ut & corpori, novas vires addit. Quamvis ex naturæ præscripto & blandè afficiat, certas tamen audit leges; nam ut ipsius beneficio humores intrò congeruntur, propter musculorum externorum sistitos motus, ità si diuturnior, majori copiâ retenti, torpidos spiritus, nervos, cæteraſque partes laxas, & quasi resolutas efficiunt, mentemque ipsam stupescentem præstant. Quæ corpori admota, somni diuturnioris gerunt vices, eadem invehunt incommoda. Qui balneorum usuræ longiori se se committunt, illorum mens ut & corpus languet ignaviâ. Quanto igitur periculosius potui adhibere somnum. Non solum exteras partes, uti balneum, afficit potus; verùm & internas & immediatè ventriculum. E somno potui superveniente humidi copiosior proventus, unde ventriculi fibrarum resolutio, spirituum velut immersio, chyli nimiùm diluti imperfectio. Semina copiosiori liquore asperſa, haud faciè suas dimittunt oleosas partes, pistillique eludunt ictus; emulsiones ex his vix eliciuntur. Hæc damna alimentis ventriculo mandatis indubiè procreas, cùm importuno indulgebis potui. Somnus humores retinet. Potus novos suppeditat: ab his alimenta subacta nimis diluuntur, ventriculi fibræ languidè suos agunt motus: ità alimentorum informis & indigesta moles citiùs rapitur, si ad sanguinem, ipsum inficit, solidas labefactat partes: pro crassitie, lacteas venas si nequit permeare, diarrhœam, cæliacam, lienteriam, cæterosque alvinæ regionis cruciatus portendere non impar.

QUALIS igitur fuerit illorum metus? Quibus arrident tot naturæ insueta, cum in iis quæ vires valent recreare, levis error, tot involvat pericula. Nunquam suis eum beat amplexibus amica sanitas, qui auream non diligit mediocritatem, nec adversùs mille mala unquam esse poterit tutus. Verùm ut diversa te non deterreat rerum ratio, morbosum à sano statu discriminare. In quibusdam febribus largior aquæ potus morbum solvit. A potu diuturniori abstinentia hydropicos perfectè sanavit. Sed ubi benè se habet corpus, potus somno adjunctus ipsum ad extrema perducit. Utriusque idem est effectus, si non in omnibus, saltem in plerisque. Uterque corpori, humores, etsi diversimodè, addit. Si quis sitiens superdormiverit, per somnum sitis fit expleta; corpus à somno humectari argumentum. Ut potùs genus multiplex, siquidem alimentosus, medicamentosus alter & potus simpliciter usurpantur, ità pro eo quod inter eos intercedit discrimen, se se mutuò non nunquam innoxiè valent excipere. Pro vini largiori potu sitis, ardor, febris, & instante somno, aquæ simplicis potum admittit & postulat, brodia, ptisannæ quæ sitim creant, aquam diluentem exigunt quovis tempore, ut salium fiat solutio, sulphurumque attemperatio. At verò nisi hæc rerum similiumve urgeat necessitas à potu, somno instante, caveas. Divini senis mentem evolve. *Qui*, inquit, *bibere noctu appetunt, iis vehementer sitientibus, si superdormiverint, bonum.* Hæc breviter nullisque illustravit rationibus, more axiomatum quæ veritate fulgent & innituntur.

Ergò potus, instante somno, noxius.

Proponebat Parisiis FRANCISCUS POUSSE, Cenomanus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1708.